

כעז
12444
DISSERTATIO PHILOLOGICA

De

AQUIS SUPRA-
COELESTIBUS,

Quam,

Diuina adspirante Gratia,
Cum consensu Amplissimæ Facult. Philos.
in Academia Gothor. Carolina,

PUBLICO EXAMINI
submitunt

PRÆSES

MAG. JOHAN ROGBERG


ET

Respondens

JOHANNES LUNDAHL,

Smolandus,

In Auditorio Carolino Maiori
Ad diem III Martii Anno MDCCXLII



TYPIS LUDOVICI DECREAUX, Directoris Officinæ
Typographicæ LUNDINI GOTHORUM.





עמי עשו

Proëmium.



Astissimam huius mundi structuram paullo accuratiore ponderanti iudicio tot tantaque obueniunt admiranda; quot in iusta rationis trutina suspendere finita haud permissura erit ætas. Alia certe ratione fieri haud posset, quin Summum Numen, uarias producendo res, innumera infinitæ sapientiæ potentiæque documenta ubiq; ederet. Summa itaque admiratione seriisque gemitibus dignum, quod haud pauci mortaliū eo audaciæ temeritatisque fuerint progressi,

gressi, ut excellentissima Summi Artificis opera, e superiori lumine haurienda probandaque, uel in suspicionem prorsus uocare, uel in alienum detrahere sensum nulli dubitarint, haud perpendentes, se uenerabundos operum diuinorum admiratores, minime uero eorundem correctores esse constitutos. Huius criminis obnoxii uidentur, quotquot aquas supra ccelestes, tamquam inutiles & naturæ aquarum minus conuenientes penitus negandas existimarunt; licet easdem sacra pagina totidem confirmet uerbis, omnis mendacii, mutationis nec non contortæ explicationis plane impatientibus. Quas itaque diligentiori maxime dignas examine putauimus, ostensuri argumentis, ex ipsis sacri textus uisceribus desumptis, aquas illas supra ccelestes affirmandas esse, nec, iis concessis, quidquam diuinæ sapientiæ naturæque aquarum contrarium admitti. Ingenui uero lectoris erit, facilem nostro conamini præbere censuram, si quid in summa temporis angustia, materiæque rite elaborandæ difficultate infra argumenti dignitatem fuerit prolatum.

§. I.

Ne disceptatio nostra uaga pugnae An-
dabatarum parum dissimilis euadat, in fronte sa-
cri textus ponenda sunt uerba, quæ fortissima
nobis subministrabunt arma, apta ad quoslibet
dissentientium ictus excipiendos repellendosque; quorum
hæc est facies, e Cap. I. Gen. vers. 6 & 7. ויאמר אלהים
ויהי רקיע בתוך המים ויהי מכדיל בין מים למים: ויעש
אלהים את הרקיע ויכדל בין המים אשר מתחת לרקיע ובין
אלהים: *Et dicebat DEus: sit ex-
pansum in medio aquarum, & erit diuidens inter aquas
ad aquas. Et producebat DEus expansum; & diuidere
faciebat inter aquas, quæ infra expansum, & inter aquas,
quæ supra expansum: & erat ita.*

Hiscæ illustrandis potiores tam Orientalium quam oc-
cidentalium adiungi merentur uersiones, quo dicendo-
rum ueritas aliquo etiam modo inde confirmetur.

Targum Onkelos.

ויאמר יי יהו רקיעא במציעות מים ויהו מפרוש בין מים
למים: ועבד יי ות רקיעא ואפרוש בין מים די מלרע לרקיעא
ובין מים די מעל לרקיע והוה כן: *Et dixit DEus; sit fir-
mamentum in medio aquarum, & diuidat inter aquas &
aquis. Et fecit DEus firmamentum, & diuisit inter aquas,
quæ erant subter firmamentum & inter aquas, quæ erant
super firmamentum, & fuit ita.*

Targum Jonathan.

ויאמר יי יהו רקיעא במציעות מים ויהו מפרוש ביני מים
עלאו לביני מים תתאי: ועבד יי ית רקיעא סומכיה תלת
מצבעתא ביני סמרי שמים למים דאוקיינוס ואפרוש ביני
מים דמלרע לרקיעא וביני מים דלעיל בקובתא דרקיעא והוה
כן:

Et dixit Dominus: sit expansum in medio aquarum, & sit separans inter aquas superiores & inter aquas inferiores. Et fecit Dominus expansum, sustentans ipsum tribus digitis inter extremitates cœlorum & aquas Oceani. Et separavit inter aquas, quæ sunt infra expansum, & inter aquas superiores, quæ sunt in tentorio expansi. Et fuit sic.

Targum Hierosolymitanum.

Et sit separans inter aquas superiores, & inter aquas inferiores.

Uersio Syriaca.

ואמר אלהא נהוה רקיעא במצעת מיה ונהוה ופרש בית מיה למיה: ועבר אלהא רקיעא ופרש בית מיה דלתחת מן: *Et dixit DEus: sit firmamentum in medio aquarum, & fuit, diuisitque inter aquas & aquas: Fecitque DEus firmamentum, & diuisit inter aquas, quæ sub firmamento, & inter aquas, quæ super firmamentum, & fuit ita.*

Uersio Samaritana.

ואמר אלהא הוה קפאיה במיסין מים ונהוה מפרש בין מיה למיה: ועבר אלהא ית קפאיה ואפרש בין מיה דמכתי: *Et dixit DEus: fiat firmamentum in medio aquarum, separetque aquas ab aquis. Et fecit DEus firmamentum, separetque inter aquas, quæ erant subter firmamentum, & inter aquas, quæ erant super firmamentum: & factum est ita.*

Uersio Arabica.

שא אלהא אן וכון גלד פי ושט אלמא ווכון פאסלא בין אלמאין: פסנע אלהא אלגלד ופסל בין אלמא אלדי מן: *Uoluit DEus, ut esset*

Uersio nostra Uernacula.

Och Gud s̄de: warde et fäste emellan watnen, och åtskijle watn isfrå warn. Och Gud gjorde fästet, och åtskilde thet warnet som war under fästet, isfrå thet watn, som war ofswan fästet. Och thet stedde så.

Hisce dicti nostri uersionibus, in negotio fundamentali sæpissime conuenientibus, nostram qualemcunque paraphrasin addere lubet, quo primo statim intuitu, tota tractationis ratio adpareat. Postquam uidelicet summum infinite sapientiæ potentiaque Numen, primo temporis momento, semina omnium corporum, tam cœlestium quam terrestrium produxisset, iisque certas motus regulas constituisset, quorum ad ductum, lux illa primigenia, dierum notitiumque primarum differentiam effectura, mox prodiit: tum, primo transacto *ⲅⲏⲟⲩⲉⲛⲟⲩ*, & ipso secundi initio, firmamentum, seu totum illud spatium mundanum, extendit, quod, suo interuentu, massam terraqueam a potiori aquarum copia liberaret. Cum perpetuus a DEO constitutus esset limes, inter aquas hasce terrenas & aquas omnibus cœlis superiores, nostris undique oppositas. Ut uero simplicissimæ hujus expositionis ueritas in lucem protrahatur, omnium primo, opus creationis Diei primæ paucis erit enucleandum; cui deinde ueram nostri dicti sententiam adiiciemus, cum debita dissentientium censura.

§. II.

In exponendo opere creationis diei primi plurimæ occurrunt difficultates, animum sæpe reddentes dubium, quam potissimum eligat sententiam sequendam. Unicum tantummodo habemus memoratu dignissimæ huius historiæ scriptorem, eumq; fidelissimum, licet paullo bre-
 uio-

uiorem, ipsum nimirum Mosen, diuino ductum instin-
ctu, cuius etiam auctoritate unice acquiescere debemus.
Is, ineptas Philosophorum refutaturus nugas, ostendit,
æternum illud Numen, lucem habitans inaccessam, glo-
riæ suæ manifestandæ causâ, solo uoluntatis sapientissi-
mæ iussu, rebus extra se certam dedisse existentiam. Qui
admirandus Entis perfectissimi actus sequentibus omni-
um commodissime exprimitur verbis: **כראשית ברא**
והאשית את השמים והאשית את הארץ, intelligens suo
non principium aliquod in DEO, quippe qui omnis
initii & mutationis plane est expers, sed initium rerum
extra DEum collocatarum, quæ una cum tempore in-
ceperunt, suamque nactæ sunt existentiam, ut *τὰ μὴ ὄντα*
ὡς ὄντα uocari queant. Rom. IV, 17. conf. Ebr. XI, 3.
Posteriora huius commatis uerba **והאשית את השמים והאשית את הארץ**
maiores Philologis crearunt molestiam, adeo ut Joh.
Clericus in Comment. super Gen. Cap. I. sex diuersas
de hisce uerbis recenset opiniones, quarum altera alte-
ram difficultate superat. Et cum propria uerborum si-
gnificatio, quousque fieri possit, sit sequenda, facile
quis inde colligeret, eorum sententiam reliquis præri-
pere palmam, qui contendunt hæc uerba generalem hi-
storiam describendam continere introitum; quemadmodum
Uirgilius lib. I. Aeneidos argumentum subsequens hi-
storiam statim sub iniuriam indicaturus orditur: *arma ui-
rumque cano* &c. **שמים** enim, stilo scripturæ, spatium
illud mundanum delignat, in quo partim corpora mun-
di totalia continentur, partim etiam ubi uaria eueniunt
meteora uid. STOCKII Clau. L. S. U. T. pag. 1105 **ארץ**
uero corpus illud mundanum exprimit, cuius superfici-
em quotidianis calcamus pedibus, uid. l. c. p. 96. Verum
enim

enim uero, a propria hacce uerborum acceptione aliquantisper esse recedendum sequentia sole meridiano reddunt clariora. Uersu namque immediate sequenti, per particulam copulandi ו cum priori coniuncto, nulla iniicitur mentio terræ creandæ, sed creatæ tantummodo facies describitur. Quod si iam prior uersiculus generalem totius mundi creati contineat descriptionem, prono inde fluit alueo, formam terræ תהו ובהו ante punctum temporis creati existisse, forsan ab æterno, uti Græci quondam existimarunt Philosophi. Quæ sententia cum mundo hocce finito collata manifestam inuoluit contradictionem. Nam mundum, cuius essentia initium existendi inuoluit, creare sine initio existendi, h. e. ab æterno, est repugnans, adeoque nec obiectum omnipotentia diuinæ. E. fieri non potuit, ut mundus ab æterno crearetur. E. in tempore. Si in illo, uel perfectam uel imperfectam in primo temporis puncto obtinuit formam; perfectam necessario admittere debent, qui uocabula הארץ & שמים uers. 1. proprie accipienda uolunt; imperfectam uero sequentia docent. E. sine contradictionis uitio, illa uerborum expositio tolerari nequit. Melior itaque tentanda est uia. Hanc accuratior creationis uniuersi, eiusque a Mose adornatæ historiae consideratio optime monstrabit. Creando æternum illud Numen factum esse conspicuum sana monstrat ratio. Propior uero modus e perfectiore hauriendus est fonte, ostendente Diuinæ Sapientia magis placuisse, creationi sex dierum spatium impendere, quam uno eodemque momento singula producere, (quod infinita potentia facile efficere potuisset,) quo omnia DEI opera distinctius attentiusque consideranda prodirent, ut alias iam huius ordinis causas taceam, alla-

allatas in Exam. Theol. HOLLAZII p. l. c. 3. p. 12. p. m.
 391. Quis itaque sibi persuadeat, ordinis auctorem, na-
 turam constituendo, simplicem a posteriori iam perce-
 ptum naturæ ordinem, a se una cum tempore simul in-
 stitutum, non fuisse secutum? Aliud certe accuratissima,
 ipsius sapientia admittere nequit, cui convenientissimum
 uideatur, ut omnium primo materiam uniuersi, uel ru-
 diorem illius delineationem, uno uerbo, semina rerum o-
 mnium, produxerit, e quibus postea, accedente ui-
 Morrice, elegantissimum hocce totius uniuersi Syste-
 ma formatum ornauerit. Ideoque Moses hunc primum
 diuinæ uirtutis actum, extra diuinitatis essentiam termi-
 natum, tamquam fundamentum totius operis creandi,
 descripturus, uocabulis מים & ארץ, usus est; quasi
 diceret: Summum Numen in principio omnem materi-
 am, tum quæ uastissimum cœli spatium replet, tum &
 eam, ex qua omnia corpora mundi totalia constant, cre-
 asse. Huic sententiæ fauent haud pauci Patrum & Docto-
 rum Ecclesiæ, quorum unum adducam testem, hanc ma-
 teriam cum semine conferentem, nimirum AUGUSTI-
 NUM lib. II. de Genesi ad litt. *informis*, ait, *illa materia,*
quam ex nihilo fecit DEUS primum appellata est cœlum &
terra. Nam quemadmodum si semen arboris considerantes
dicamus, ibi esse radicem, & truncum, & semen, & ra-
mos, & folia atque fructus, non quod ipsa iam sunt, sed
quod inde futura sunt; sic in principio fecit DEUS cœlum &
terram, quasi semen cœli & terræ, cum in confuso adhuc
esset cœli & terræ natura. uid. REINBECK in *Betrach-*
tungen über die Augspurgische Confession Tom. I. p. 181. seq.
 Et ne cui materiæ uniuersi denominatio, per cœlum &
 terram tantummodo facta, minus commoda uideatur,

sciat uelim, non modo Rabbinos, sed & scripturam sacram iisdem rerum uniuersitatem designare, uti uidere licet ex Gen. II, 4. Exod. XXXI. 17. Jer. XXIII, 24. Adeoque nullum superesse potest dubium, quin, deficiente Ebraeis peculiari nomine, ad prima rerum elementa, rudemque coeli terraeque formam exprimenda, haecce, ob potentiam proximam coelum & terram constituendi, diuinus noster historicus adhibuerit.

§. III.

Commemorata tali pacto materiae uniuersi productione, progreditur ulterius ad faciem terrae nostrae inprimis, utpote nobis proximae, scituq; quam maxime necessariae, describendam, cuius ruditatem tenebrasque priori uers. 2. hemistichio sequenti modo commemorat: והארץ היתה תהו ובהו ורוח השׁׁך על פני תהום. Prolixum Commentatorum eruditorumque aui inprimis prisci studium in adstruendo enucleandoque ex uerbis hisce chaos illo primo mittimus, de genuino potius eorundem sensu magis solliciti. Postquam sacer auctor perbreuem, uti dictum §. II, creatae materiae uniuersi fecisset mentionem, ulterius progreditur, statum globi nostri terraquei, eius puta sterilitatem summamque ruditatem, uerbis admodum emphaticis descripturus. Commune תהו & בהו in lingua Ebraea agnoscere semen, nimirum הו, *praesentem & actualem rerum coniunctionem* designans, accuratissima eorum cognatio factis superque ostendit, quod etiam in litteris suis seminalibus occurrit Amos V, 16. Priori uocabulo praefigitur ת, quo ostendatur, omnia uegetabilia praesenti coniunctione tum temporis, in suo termino, terrae uidelicet fundo, occulta penitus mansisse, quae idea commodiori uocabulo in lingua latina exprimi non potest, quam per *uastitatem*

tatem uel inanitatem, omnis, puta, cultus, ornatus, rerumque uegetabilium absentiam indicantem. Huic, emphaseos caussa, additur כהו, eodem semini præmittens כ, omnis ornamenti in terra, tamquam communi suæ foecunditatis loco, inexistentiam importans. Indeque facilis est adplicatio, quando hæc uocabula in S. S. adhibentur ad designandam regionum urbiumque grauissimam desolationem Es. XXXIV, u. Jer. IV, 23. uel morales interdum כהו sustinet notiones, uid. STOCKII Clau. L. S. U. T. p. 1179. Ex eodem hoc semine descendunt radices afformatæ הוה & הות, quæ significatione tantum morali, pro *prauitate, calamitate, miseria & infortunio* in Bibliis usurpari solent. Nec non uerbum status הוה *fuit, exstitit*, mechanicum uel simplicem retinens significatum. Quæ itaque necessitas, ut cum Lexicographis ad radices Arabicas, Syriacas & Chaldaicas, in deriuatione harum uocum, inepte recurramus?

Aliud mox prædicatum materiae creatæ addit, uidelicet tenebras, quæ certe, primo illo tempore, erant necessariae, deficiente motu celerrimò subtilissimarum particularum, lucem, iuxta Physicorum principia, constituentium. Has inprimis superficiei abyssi, seu aquarum uoragini, adscribit. An per תהום hoc loco totam materiam creatam, uel tantummodo immensam aquarum copiam, terram undique circumeuntem, intelligamus, ratione tenebrarum commemoratarum, nihil quidem de ueritate decedit. Interim tamen nulla nos cogit necessitas, ut genuinam huius uocis notionem, e praxi Biblica hauriendam, deseramus. Quæ confirmat, eandem sensu proprio uastissimæ & immensæ aquarum multitudini tribui, qualis aquis marinis iam inprimis conuenit. Hunc

fenſum etiam radix תהם, a femine הם, ut notionis formalis, accurate exprimit. Quam acceptionem confirmat Pfalter, in descriptione creationis primæ, ſtilo Poëtico admodum illuſtri, Pf. CIV, 6. תהום כלבוש כסיתו על מים *Abyssus, ſicuti uestimentum obtegit eam; ſuper montes ſtabant aquæ*, qui locus præſentem egregie illuſtrat, eique merito parallelus habetur.

§. IV.

Postquam Historicus noſter ſacer manifeſtam inieciſſet mentionem conditionis obſcuræ mundi nuper creati; in poſteriori huius uerſus hemiſtichio, per Athnachum a priori accurate diſtincto, diuinam uirtutem, operi creato præſentem, emphatica proſus ratione depingit, dicendo: ורוח אלהים מרחפת על פני המים. Eorum ſententiam relinquimus, qui proprie hæc uerba intelligenda uolunt, de uento, a conſpectu DEI ſuper faciem aquarum flante. Impoſſibilis quippe non modo tum erat uentus, nullo adhuc exiſtente aëre, e cuius agitatione eundem oriri conſtat, ſed & nullius plane utilitatis, ſaltem tantæ, ut tam ſollicita eius iniiceretur mentio. Potiori crediderim iure, Moſen ad peculiarem quendam Spiritus Sancti actum hic ſuum habuiſſe reſpectum, non excluſis reliquis diuinitatis perſonis, cum creatio ſit opus ad extra, toti competens Trinitati. Qua uero potiffimum in re conſtiterit difficilius eſt dictu. Totum negotium deuoluitur in מרחפת, cuius itaque genuina notio attentius eſt rimanda. Descendit a femine חף, unica tantum uice, quoad literas, in Bibliis occurrente, Job. XXXIII, 9. & quidem notione morali. Alias cognatæ radices חפה, חופ, חופ, notionem feminis, *ſpecioſam fixationem radio-*ri ſuo ſignificatu inuoluentis, qualis eſt *regentis res quas-*

cunq̄ue apertas & præclaras, suo modo augent. Inde facilis applicatio, ad radicem hanc præformatam ךרר obumbrationem mouendo & euacuando factam, designantem. Hoc sensu, unico tantum in loco, præsentis nostro excepto, occurrit, Deut. XXXII, 11. de aquila, tegendo, suos defendente pullos a qualibet ui externa, & ad uolatum excitante; uti nubes castris Israëlitarum inter proficiscendum in deserto imminebat, saoque præcedaneo motu eorum dirigebat itinera. Huc referri non debet radix afformata ךרר Jer. XXIII, 9. prouti alias Lexicographis uisum est, quippe quæ contrariam sustinens ideam, a semine ךר aptius deriuetur. Hisce præmissis, facile patet hoc loco per ךררפת designari intensiuum quendam, multiplici modo sese exerentem, diuinitatis actum, circa uastissimam aquarum molem, ad eandem fouendam inque motu constituendam. Et cum Summum Numen nihil agat sine ratione sufficientissima, sum perluasus, Spiritum, Sanctum, hac sua ui protectrice, peculiarem quandam vim motricem materiæ indidisse, quæ iuxta constitutas simul regulas motus generales in actum produceretur. Etenim, in priori huius uersiculi parte, materiæ quietem, nomine tenebrarum, commodissime descripsit; eius uero motus, facta lucis primæuæ mentione, sequenti exponitur uersu. Omnem lucem prouenire ex motu rectilineo, a centro nempe ad peripheriam, globulorum ignis purissimi, Physici tradunt; ille autem, sine certis regulis motus, concipi nequit. E. necessaria erat existentia legum motus, ante lucem productam. Et hac ratione prouum est collectu, cur Moses tanta cura sollicitudineque diuinam hanc super aquas agitationem consignauerit: cum peculiare contineat vim motricem, a Deo materiæ nuper creatæ im-
pres-

pressam. Et hoc modo, uersus illi memorati fundamentum ponunt toti operi creando. Constitutis quippe huius uniuersi seminibus, regulisque motus, quarum ad ductum infinitæ sapientiæ placuit sua producere opera, productaque indies conseruare, primo statim tempore, lux primæua, dierum noctiumque caussa, prodiit. Cuius genuinam rationem, motum & reliquas proprietates sicco iam præterire licet pede, cum de singulis hisce meam aperuerim mentem in diss. de *harmonia utriusque luminis, reuelati & conuati, cum systemate terræ quiescentis*, Cap. I. §. 10. Anno 1740. hic habita, quæ, si cui placet, hac de re conferri potest.

§. V.

Explicato hæctenus opere primi diei, ad sequentis, in quo cardo quæstionis nostræ uertitur, pergimus, exposituri primum ipsum opus, & deinde ueram eius rationem proprietatemque. Opus exprimitur uocabulo רָקִיעַ uers. 6 & 7, quod a semine רָק, in S. S. non simplici uice obuio, suam repetere originem, cognata רָקָק, רָקָר & רָקָם ostendunt, singula notionem seminis, *euacuatum quid pressum*, uno uerbo, *expansionem* designantis, pro ratione litteræ adiectitiæ augmentia. Inde quoque radix afformata רָקַע, per Scripturam ad extensionem rei cuiuslibet adplicatur, qualis est metallorum, quæ, mallei pulsu, in tenues extenduntur laminas, uid. Exod. XXXIX, 3. Et XL, 19. &c. conf. Stock. Cl. L. S. V. T. pag. 1039. Quadrilitterum uero רָקִיעַ, ob interiectum י, magis uiuam radiorum ubertim egredientium pressio-nem sortitur, ut concrete in lingua Latina per extensum quodcunque non sine caussa reddatur. Cælo aptissime data hæc notio conuenit, quum ante expansionem, die
secun-

secundo factam, in mole aquea conuolutum quasi concipi debeat, e qua fortiori ui explanatum prodiit. conf. Pf. CIV, 2. Ef. XL, 22. XLIV, 24. Hanc ideam columnæ aëreæ, globum nostrum terraqueum circumcirca ambi-
 enti, competere posse lubentes concedimus. An uero רָקִיעַ absolute positum in Scriptura S. aërem designet, alia est quaestio, quam negamus & pernegamus. Solem quippe, Planetas, totumque stellarum fixarum exercitum in-
 æthere moueri, nemini, uel prima Astronomiæ rudimenta tenenti, obscurum esse potest, adeoque uocabulo רָקִיעַ Gen. I, 14, 15, 17. cœlum æthereum unice intelligen-
 dum, absque omni dubitationis alea positum est. Inde concludere licet: quodcumque a Mose nuper memoratis uersibus commune corporum cœlestium receptaculum, ponitur, eius productionem præcedentibus uers. 6 & 7. indicauerat. At cœlum æthereum unicum corporum cœlestium est receptaculum. E. Alias nulla mentio creati spatii ætherei iniiceretur; cuius tamen existentia u. 14. præsupponitur, tamquam pernecessaria motui corporum cœlestium rite perficiendo.

Ut uero insignis huius רָקִיעַ præstantia indicetur, mox additur loci ipsius in hoc uniuerso descriptio, phrasi illa: מֵימֵי כְתוּךְ הַמַּיִם prius illud cauum a semine מַיִם, medium quodcumque designat, licet non semper Mathematicum, attamen inter duas partes extremas constitutum, uid. Exod. XIV, 23. Ez. XLVIII, 21. Pf. CXLIII, 4. &c. Posterius uocabulum מַיִם, a semine מַי, aquas hoc loco designare tota textus συνάφεια suadet. Adeo ut רָקִיעַ, seu cœlum æthereum, sit collocatum inter aquas globi nostri terra-
 quei & aquas alias, ab altera parte cœlo illo superiores.

Ex memorato §. proxime superiori loco **רָקִיעַ**, inter aquas uidelicet, cœlo illo æthereo superiores, & inferiores nostras terrenas, ad usum eius indicandum posteriori uersus eiusdem hemistichio pergat, hisce uerbis **וְיִהְיֶה מַבְרִיל בֵּין מַיִם לַמַּיִם** & *erit diuisor*, (uel faciens ut diuisio sit) *inter aquas ad aquas*. Hanc uersionem, in linguæ Ebrææ genio fundatam, non modo nihil obscuritatis in se habere, sed & egregie genuinam confirmare sententiam perspicuum satis reor. Participium **מַבְרִיל** provenit a radice **בָּרַל**, cuius semen **רָל** *elevationem* designat, uid. Ps. CXXI, 3. Præformata littera **ב** ostendit hanc elevationem e loco inexistentiæ suæ fieri, uel clarius, *diuisionem indicat rerum antea coniunctarum*. Conf. Gen, I, 4. Leu. XX, 26. Num. XVI, 9, 21. &c. uid. Stock. C. L. S. U. T. p. 113. Huic uerbo trilittero præfigitur **וּ** patachatum, nota tertiæ coniugationis participii, si personam uel rem concrete agentem intellexeris, sin minus ad nomina uerbalia commode referri potest. Ergo **רָקִיעַ**, seu expansum, medium esset, quo hæc aquarum diuisio multiplici modo promoueretur ab aquis totius terræ nostræ ad alias longe superiores, quod **וְ** præfixa particula **ל**, relationis ideam præ se ferens, ad aquarum colluuiem summam, ab hac terrena prorsus distinctam, satis superque innuit.

Cum res hæc non modo rationi imperuia sit, sed & eidem contraria facile uideatur; adeoque, ne ulla uel minima huius cauillandi ansa præbeatur, uersu proxime seq. 7. eandem scriptor sacer denuo excipit & dilucidius explicat. In quo explicando cardo quæstionis inprimis uertitur in particulis illis, ibidem occurrentibus, **תַּחַת** uidelicet

&

& לַע, hæcenus expositam nostram sententiam adhuc propius corroboraturis. Prior תחת, a semine תת, *fixum terminum in termino*, uno uerbo, *contactum*, inuoluit, applicatur secundum communem Scripturæ usum, generali sua notione, ad *depressum, humile & inferius* quid designandum. uid. Stock. L. c. p. 1181. Opponitur posteriori particulæ לַע, *intellectus actum, innuenti, exponentis unius rei præ alia excellentiam, uel uim præualentem & in aliud agentem*, ut uerbis Celeberrimi nostri Philologi & L. L. O. O. Professoris Maxime incluti, Præceptoris & Patroni æternum uenerandi, JOH. ENGBESMANN, in *Gram. Ebr. restit.* p. 202. uti mihi liceat. Quæ accuratissima oppositio perspicua satis redditur ex Gen. XLIX, 25. Utrique harum particularum præfigitur ו, significationis augendæ causa, ut indicet quanta aquarum supra cælestium eminentia, tanta quoque, earum respectu, terrestrium nostrarum depressio. Ex manifesta hac particularum oppositione pronum est sequentem inde elicere conclusionem: Uti תחת designat rationem aquarum terræ nostræ ad רקיע, seu cælum æthereum: ita etiam לַע indicare debet rationem aquarum superiorum, ad idem illud spatium æthereum. Q. E. D.

§. VII.

Expositis hæcenus potioribus illis, quæ in dicto nostro allato aliqua laborare obscuritate, quæque ueræ confirmandæ sententiæ quoddam afferre momentum uidebantur; Instituti etiam ratio exigit, alios ex Analogia Scripturæ carpere flosculos, ueram in dicto nostro fundatam sententiam ornaturus. Hos iucundissimos, omnique uenustate præstantiores, posteritati reliquit Diuinus Psaltes, in primis Ps. CIV. Ubi statim ab initio, admiran-

randum creationis opus descripturus, a cœlorum expansione incipit u. 2. & proxime sequenti progreditur ad nonnulla, cœlis quasi propria, recensenda mirabilia, quorum primum & potissimum: המקרה במים עליותיו *contignans in aquis cœnacula sua*. Participium I. coni. a semine קר, *occurrenti* notionem importante, stilo Scripturæ, proprie tribuitur ædificiis, trabium & tignorum quasi occursum arctissime coniunctis. Metaphorice uero hoc loco adhibetur, ad declarandam actuaalem arctamque, domus instar, aquarum contignationem, conf. Amos IX, 6. Finem huius ædificii, concinne copulati, sequens mox uocabulum עליותיו exponit. Quod *adscensionis* notionem tuetur, commodeque, teste Analogia Scripturæ, conf. Jud. III, 20. seq. 2. Reg. IV, 10. XXIII, 12. 2 Sam. XVIII, 33. &c. cœnaculis Orientalium uindicatur, ad quæ, utpote in superiori ædium parte constituta, per gradus adscendebatur. Metaphoricæ huius locutionis adplicatio ad aquas supra cœlestes est facilis. Repræsentat etenim sibi facer Poëta totius huius uniuersi machinam, tamquam ædificium excellentissimi DEI, cuius in summitate sua reposuit cœnacula, aquis illis supremis arctissime quasi contignata. Intereaque in inferiori parte, uariis nubium phænomenis, summaque uentorum ui, infinitam suam prodit potentiam. Ex quibus nemini obscurum esse puto, Dauidem ad nullas alias, citatis uerbis, respexisse aquas, quam supra cœlestes, ne ταυτολογία ac inconuenientis plane narrationis sacrum arguamus Scriptorem. In posteriori enim huius uersus hemistichio expressam, nubium iniicit mentionem, earumque uirtutem emphaticis describit modis, qui cum primo eiusdem uersus prædicato conciliari nequeunt. Continua quippe nubium
agi-

agitatio huc illucque, currus instar, & arctissima ædificii superioris contignatio utique pugnant. Nubibus nihil inconstantius, nihil incertius, iam uapores, eas constituentes, altius adscendunt, iam propius terræ, a qua aliquantisper sunt separatæ, adhærent, interdum copiosiores, interdum pauciores, deprehenduntur. Quo quæso modo hæc singula attributa perpetuæ illi aquarum coniunctioni conueniunt? uid. infra allata, de notione טַם מים §. XIII. Adeoque nihil nostræ decedit sententiæ, si uel maxime u. 13. idem illud uocabulum עליותו de nubibus adhiberetur. Modo attendamus, talia esse debere prædicata, qualia a suis admittuntur subiectis, uel etiam adiectis. Illud prædicatum u. 3. nubibus competere non posse fusius nuper demonstrauius. At a u. 10. ad 30. inclusiuè, prouida DEI cura circa res creatas enarratur, cuius documentum non minimum irrigatio montium fecundis illis aquis præbet.

§. VIII.

Nec obscuriora harum aquarum indicia idem ille ueritatis diuinæ Præco reliquit Ps. CXLVIII, 4. הללוהו : מים השמים וְהַמַּיִם אֲשֶׁר מֵעַל הַשָּׁמַיִם : *laudate eum cæli cælorum*, h. e. cæli altissimi, & *aquæ, quæ supra cælos hos*. Excitat in hoc Psalmo Auctor sacer omnes res creatas, quæ in cælis, aqua & terra existunt, ad laudes Jehouæ summo tribuendas. Inter primos gloriæ diuinæ præcones Cælos cum aquis, iis superioribus, numerat. Ut uel præconcepta quadam opinione captum, uel studio in luce meridiana cæcutientem reputemus, qui has ulterius negare audeat. Postquam enim u. 3. e partibus mundi totalibus, cælorum spatio contentis, diuina depromisset elogia; u. 4. ostendit non modo ipsum continens,

cœlos nimirum altissimos, sed & aquas iis superiores, non in ipsis existentes, idem illud præstituros officium. Rationes horum encomiorum uers. 5 & 6. addit, a prima creatione & quotidiana conseruatione desumptas. Ex quibus coniiicere licet, has aquas non modo primo tempore esse productas, sed & non minus, ac spatium cœleste, reliquaque in eo existentia corpora, fore perennes, tantæque mutationi haud subiectas, quantam nubes quotidie subeunt. Finita cœlestium consideratione, tum primum orationem suam dirigit Noster uersus globum terraqueum, e plurimis eius admirandis diuinam quoque eliciens gloriam maiestatemque, quibus u. 8. accenset ignem, s. fulgura, grandinem, niuem, uapores s. nebulam, uentumque procellosum, quæ meteora ad nubes nostras referenda esse, uel quotidiana satis loquitur experientia. Nam in aère nostro non solum deprehenduntur particulæ aqueæ, sed & igneæ, salinæ sulphureæque, uari generis meteora ignea efficientes. uid. *Teichm. Elem. Phil. nat.* p. 2. c. 3. p. 152. Ex allatis iure concludo: Cum potiores partes, nubium phænomena constituentes, ad mirabilia globuli terreni referantur, sequitur, nubes hæc u. 4. nomine $\Delta\psi$ non indigitari, uerum ad peculiare aliquod, meteoris nostris sublimius, Auctorem sacrum habuisse respectum, quem locum aquæ illæ, sapius nominatæ supra cœlestes, sibi omni iure uindicant, cum tertium & Scriptura & ratio ignoret.

§. IX.

Licet existentia aquarum supra cœlestium, tot diuinis probata documentis, ulteriori quadam humana non egeat demonstratione; interim tamen, in gratiam eorum, qui nimio auctoritatis studio laborent, & fortassis
noui-

nouitatis quendam pruritum huius sententiæ patronis inuere conentur, quædam eius generis testimonia quoque sint adiicienda. Primum in scenam prodire potest scriptum Apocryphum, Canticum trium puerorum, quod adscribi solet *Theodotiani*, olim hæretico Marcionitæ, uel forsan, ut aliis magis placuit, Ebionitæ, mox Apostatæ Iudæo, Cap. 3. Danielis adiectum, cuius hæc sunt uerba, n. 60. *Εὐλογεῖτε ὕδατα καὶ πάντα τὰ ὑπεράνω τῆ ἔραν ἃ τὸν κύριον, ὑμνεῖτε καὶ ὑπερψάτε αὐτὸν εἰς τὰς αἰωνῶνας.* Nihil quidem diuini huic tribuimus effato, quippe quod sententiam tantummodo Iudæorum illo tempore dilucide exprimit. Quam etiam consentientem fouerunt PHILO, JOSEPHUS, R. ONKELOS aliique ueterum, prouti uersiones p. 3, 4. & 5. allatæ testantur, quæ, præter Targum illud Jonathan, insignia diuersorum temporum nostræ sententiæ testimonia præbent; ad quas itaque uersiones, hac de re omni iure conferendas, breuitatis studio, B. L. ablegamus. Hæc quoque sententia, teste CALOUIO in *Bibl. Illustr.* p. 227. priscis Christianis, cum *Græcis*, utpote JUSTINO, BASILIO, CHRYSOSTOMO, THEODORETO, PROCOPIO; tum quoque *Latinis*, AMBROSIO, BEDÆ, AUGUSTINO aliisque extra controuersiam posita erat. Adeo ut AUGUSTINUS profiteatur hac de re: *maiores esse Scripturæ huius auctoritatem, quam ingenii nostri capacitatem.* His consona leguntur apud Megalandrum nostrum B. LUTHERUM in *Com. Gen. Cap. 1.* *Ego quidem, ait, libenter imaginarer, firmamentum esse supremum corpus omnium, & aquas non supra, sed sub cælis pendentes & uolantes esse nubes, quas cernimus, ut sic aquæ ab aquis distinctæ intelligerentur nubes a nostris aquis diuisæ in terra. Sed Moses mani-*

manifestis uerbis aquas supra & infra firmamentum esse dicit: quare captiuo hic sensum meum & assentior uerbo, etiamsi non assequor. Hunc sequuntur plurimi nostratum, & inprimis CALOUIUS in *Bibliis Illust. & Syst. Theol.* Tom. III. Qui e Pontificiis etiam commendat *Oleastrum, Lipmannum, Molinam, Corn. a Lapide, Becanum, Salianum, Menoch. Tirinum, Bonfrerium*; nec non e Caluianis, *G. Sobnium, Job. Scarpium &c.*

§. X.

Simplicem dicti nostri, hactenus expositi, sensum, duplici inprimis modo Commentatores alii impugnare solent. Quidam penitus negant, uocabulo *מים* intelligendas esse aquas, supra cœlos constitutas; quidam de nubibus, in Atmosphæra pendentibus, illud accipiunt. Priori sententiæ ii ueterum annumerandi sunt, qui in tropicis & allegoricis acceptionibus suas posuerunt delicias, uti ORIGINES, qui, per superiores aquas, Angelos bonos intelligendos uult, per inferiores autem malos, propter peccatum a Cœlo deiectos. GREGORIO NYSSENO intelligibiles uirtutes hæ superiores aquæ uidentur, licet non inferiores pariter pro diabolis habeat. Cui proxime accedit SCALIGER, qui supra cœlestes hierarchias his aquis superioribus intelligi contendit. Sed hæ & alias absurdas explicationes sicco transimus pede, cum nulla refutatione dignæ uideantur. Et ad aliam probabilioris huius quoque classis opinionem pergimus; quam nostro tempore inprimis tuentur incluti Duumuii JO. BERNHARDUS WIDEBURGIUS in *Mathesi Biblica Specimine* l. Qu. XI. Jenæ 1730. & JAC. CARPOUIUS in *Theologia Dogmatica, methodo scientifica adornata, art. de creatione* pag. 559. edit. 1737. Quorum ille p. 30. suam men-

mentem sequentibus exposuit verbis: *Quemadmodum uersiculo secundo materia mundana aquarum nomine indicatur, quia in particulas subtilissimas adhuc diuisa fluidissima erat, ita etiam hic sub eodem nomine aquarum intelligenda est materia fluida, sed opaca, a qua die primo ignea seu solaris, ut maxime heterogenea, fuit diuisa. Quandoquidem uero illa ipsa adhuc ex heterogeneis particulis constabat, uidelicet terrestribus, lunaribus & reliquorum planetarum, die secundo hæ quoque opacæ particule diuersi generis per uim centrifugam, ex motu uertiginis ortam, a se inuicem extricare sese cœperunt, dum homogeneæ in distinctos cumulos congregarentur. Hac itaque ratione separatæ sunt aquæ ab aquis, materia quippe terrestris a lunari, hæc ab ea, ex qua planetæ, Saturnus, Jupiter & reliqui constant. Expansum uero seu æther intercedit has aquas, dum uniuersum spatium mundanum replet, & distinguit easdem in inferiores, quæ ad terram nostram pertinent, & superiores. supra cœlestes, quæ in superioribus cœli partibus ad planetarum corpora referuntur. Hunc suum Antesignanum posterior secutus est, uix latum unquam ab eo discedens, quod ne gratis dixisse uidear, pauca tantummodo ipsius uerba addam: *Quemadmodum, ait, DEus die primo materiam lucidam ab opaca separauerat; sic ad uaria corpora mundi totalia opaca, terram, Lunam, Uenerem, Martem &c. constituenda, necessaria erat materię opacæ in uarias partes uel cumulos diuisio. Nam ueluti u. 2. materia totius uniuersi dicta erat abyssus & aqua, & u. 9. tellus tamquam inanis aquarum, terreis particulis permixtarum, copia, qualem solemus lutum uocare, ante formationem sui repræsentatur, sic nihil obstat, quin h. l. per aquas supra expansum materiam lutosam planetarum, & per aquas infra*
expansum*

expansum luteam materiam telluris, quas DEus a se inuicem separauit, intelligamus.

§. XI.

Hac ratione laudatos Uiros nodum soluiffe perdifficilem, solutumque magno Ingenii acumine orbi erudito propinasse, non diffiteor, ut eorum facile accederent sententiæ, ni, eandem penitus considerando, nimis subrico superstructam esse fundamento deprehendissem. De re enim hic agitur, quæ ex altiori repetenda est principio, uerbo puta reuelato, iustum rationi imponente silentium, adeoque nihil non modo ei contrarium, sed & in eodem non fundatum, hac in quæstione admitti debeat. Quod tamen non simplici uice eosdem admisisse cuilibet pronum est collectu. Allata etenim hypothesis nititur Scripturæ S. parum consona operum diuinorum, primi inprimis Diei, expositione, nec non noua prorsus מים ארץ acceptione; hisce uero sublatis, sua sponte totum eorum cadit Systema.

E superioribus §. §. III. & IV. colligi potest, uocabula תהום & מים, in uers. 2. occurrentia, non totam massam creatam, sed aqueam inprimis, particulas terrestres, utpote grauiiores, ab omni parte circumeuntem significare, adeoque sine ulteriori studio illud subruitur fundamentum. Tenebræ enim in eodem uersu uastissimis Abysli aquis merito adscribuntur, cum particulae terrestres, aëreæ, æthereæ & lucidæ in dicta abyssu, tamquam suo inuolucro, abscondebantur, teste Dauide, Ps. CIV, 6. CXXXVI, 6. Posteriori illo מים, ad aquas Spiritum Sanctum potiozem habuisse respectum, ipsemet comprobauit euentus. Obumbratione illa diuina (§. IV.) factum est, ut, secundum certas regulas motus, substantia
lucida

lucida obscurum illuminaret orbem, cui producendæ ætherem inseruire satis superque constat. Ætherem ex aëre, aërem ex aqua, primam suam duxisse originem, ratione forsân non contemnenda asseri uidetur. E. מים loco citato proprium suum iure meritoque obtinent significatum. Si iam aquæ u. 2. proprie intelligantur, quanto magis u. 6, & 7, genuinam suam retinebunt notionem, ni Planetas aqueos tantum fingere uelint, quod experimentis Mathematicorum propriæque eorum explicationi aduersatur. Probe itaque sciendum, eiusmodi nouas, Scripturæ ignotas, immo contrarias plane, uocabulis imponere ideas Philologo minime integrum esse. Tali etenim pacto, sensus litteralis quolibet ferme momento insignem subiret mutationem, nihilque illo inconstantius & incertius, quod absurdissimum plane est, diuinaque Θεοπνευσία indignum. Deinde ipse Spiritus Sanctus accuratam facit distinctionem inter particulas terrestres & aqueas, de his unice uers. 6, & 7. est sermo; illas uero, aquis postmodum terrestribus immerfas, occultas mansisse, usque ad congregationem aquarum die tertio, e uers. 9. patet. Adeoque uers. hi 6, & 7. nulla ratione separationem quandam terræ & planetarum commemorant, ni uocabulum מים u. 2. proprie, uers. 6, & 7. improprie pro Planetis, & u. 9. iterum proprie accipiendum est, non sine absona idearum confusione. Ulterius cum רקיע, ui dictorum §. V, cœlum æthereum designet, hoc inde sequeretur absurdum, quod expansum non ultra Saturni orbitam sese extenderet. Nam uerbis satis perspicuis hic describitur, instar medii, partes extremas non egredientis. E. omnes stellæ fixæ aut in uacuo, aut loco supra expansum mouerentur, prius manifesta laborat contradictione,

D

poste-

posterius Scriptura Sacra prorsus ignorat. Denique hæc hypothesis contrariatur sequentibus, ubi expressa creationis luminarium, Solis & Lunæ, nec non stellarum, quibus, stilo Scripturæ, Planetæ sunt annumerandi, fit mentio. Si Luna die secundo sit producta, salva ueritate, Moses dicere haud potuerat, DEum Lunæ primum existentiam dedisse die quarto; At posterioris ueritatem apertis uerbis sacra testatur pagina uers. 14, 15, & 16. E. prius, utpote his contrarium, negandum prorsus est. Cui quæso bono hæc Lunæ reliquorumque Planetarum productio fieret, si informia & inordinata eorum permanerent corpora, in diem usque quartum. Die tertio hanc formationem contigisse e suo CARPOUIUS finxit cerebro l. cit. p. 564. adeoq; nullum meretur assensum, imprimis cum talis exornatio, ante solem creatum, sua luce Planetas illuminantem, nullius uideatur usus. Plura huius hypotheseos incommoda, solidæ ueritatis studioso haud toleranda, facile elicere possem, si præsentis nostri instituti ratio prolixiores hac de re ducere lines permitteret.

§. XII.

Alteram classem dissentientium Commentatorum, qui dicto nostro explicando aliquam adhibuerunt operam, aquas supra cœlestes de nubibus explicasse, uarioque argumentorum genere propugnasse, supra §. X paucis obseruauimus. Quorum pondera iam exhibere, & absque omni partium auctoritatisque studio paucis examinare, ordinis ratio postulat. Fundamenti loco ponere uidentur, cœlum stellatum, nomine lucis, primo die esse creatum, cuius contrarium meliori ratione §. IV. probauimus, adeo ut consequentias, inde deductas, mox adgredi liceat. Quorum

rum prima, quod רָקִיעַ u. 7, & 8. cœlum aëreum, s. aërem, indigitare existiment; contrarium uero monstrauius §. V. ostendendo, hoc uocabulum, absolute positum, spatio æthereo unice competere. Et licet expressa mentio creationis aëris a Mose non instituat, illa tamen non inepte in diem tertium refertur, quando aquæ terrenæ in certa sese recipiebant receptacula, ut aridum conspicuum euaderet. Tunc enim commodissimum uidetur, ut materia, reliquis specificè leuior, (siquidem grauitas specifica aëris habet se ad grauitatem aquæ ut plurimum 1: 800.) altum peteret. Quam sententiam confirmat CALOUIUS in *Bibl. Illustr.* T. 1. p. 226. *Ubi enim, ait, crassa aquarum congeries condensata, inque unum locum congregata & ab arida discreta fuit, ibi simul & aër emerit, nempe purior, perfectus & plenus ille, ad quem sese primi diei aër habuit, perinde ac lux primigenia ad Astrorum splendorem, id est, crassiuscule & imperfectiuscule.* uti e GESNERI disp. I. in Gen. quæst. XVII. WALTHERUS explicat *Spong. Mos.* ad Gen. I. Quod etiam ex serie orationis Prou. VIII, 28. probabili ratione confirmari potest. Præcipuum, contra expositionem רָקִיעַ per ætherem, dubium moueri potest ex Gen. I, 20. ubi aues uolitantes dicuntur: על פְּנֵי רָקִיעַ שָׁמַיִם. At probe notandum, aues non dici uolare על פְּנֵי רָקִיעַ sed רָקִיעַ שָׁמַיִם, adeo ut רָקִיעַ sit ibidem tantummodo adiectum, ad illustrandum uocabulum שָׁמַיִם, & uerti debet *super facies expansi cœli*, quam uersionem accentus coniunctiuus Merca in רָקִיעַ confirmat. שָׁמַיִם, ui uocis, & cœlum æthereum & aëreum inuoluere ipsa forma ostendit. Descendit a semine שָׁמַיִם, *motum celerrimum & multiplicem*, uerbo, positionem multam ostendente, quæ globulis aëreis & æthereis, per uniuersum cœlorum

spatium arctissime positus, accurate respondet. Huic superaddita terminatio dualis, iis præcipue adplicanda rebus, quæ natura aut arte sunt duplices, ostendit, dictum uocabulum & cælo aëreo & æthereo competere. Licet, secundum receptum in S. S. loquendi modum, interdum superiori, nempe ætherei, interdum inferiori, aërei, spatii cœlestis parti, interdum toti, tribuatur. Adeoque hoc loco שמים tantum cælum aëreum designat, cum auium sit, super hoc unice suum dirigere uolatum, cuius, cœli nempe aërei, iam facta existentia, hac comodiſſima ratione, indicetur. Ex allatis hisce duas elicere debemus consequentias: Prima, quod expositio רקיע טָ, hac & priori S. V. data, facta tectaque maneat. Altera, quod שמים uers. 8., utpote רקיע טָ respondens, non cælum aëreum, sed æthereum, denotet.

§. XIII.

Denique urgent Aduersarii, uocabulum שמים nubes in sacris pandectis designare, adeoque nullum superesse dubium, quin præſenti loco easdem significet. At si uel maxime illa assertio ueritati esset consona, superius tamen allata sole meridiano clarius reddiderint, שמים hoc loco proprium suum sustinere significatum, & ad nubes designandas nulla ratione adplicari posse. Idque eo confidentius asserere possumus, quo certius, memoratam טָ שמים acceptionem sufficientibus locis parallelis destitui. Prouocant inprimis ad uerba Pf. CIV. 6. על הרים יעמרו שמים. *super montes stabant aquæ.* At paullo attentius horum uerborum examen docet, explicationem טָ שמים, per nubes, contextui plane contrariam esse. E uersu proxime priori §. manifestum, quod Psalmista de prima terræ fundatione sermonem instituat, adeoque ad primam ejus describen-

bendam faciem hoc loco pergit, ostendens initio terram, vastissima Abyſſo, uestimenti inſtar, fuiſſe teſtam, cui rei illuſtrandæ, poſteriori hemiſſichio, emphafeos cauſſa, adiicit, aquam etiam ſupra montes conſtituiſſe. Quarum in ſequentibus celerrimam congregationem, ne in poſterum terram inundarent, emphaticis comemorat locutionibus. Dic, quæſo, diſſentiens, quomodo hæc & plura alia, in textu occurrentia, prædicata, cum nubibus conciliari queant? Nec feliciori ſucceſſu B. STOCKIUM in Cl. L. S. U. T. p. 601. ſequentia adduxiſſe dicta: Pf. XVIII, 12. XXIX, 3. CIV, 3. CXLVIII, 4. ad probandum, quod nubes נֶמֶם ſimpliciter dicantur, facili oſtendere poſſemus negotio, ni propoſita breuitas hunc prohiberet conatum. Interim ex allatis iure concluditur: Si nubes, per totum S. S. corpus, nomine נֶמֶם, absolute & in caſu recto non ueniant, nulla ueritatis ſpecie aſſeritur, Moſen in hiſtoria primæuæ creationis propriam uocis acceptionem deſeruiſſe. Quod etiam ſine contradictionis uitio facere non potuit, quum Cap. II, 5. ipſemet cauſſam deficientis uegetationis ponat in defectu aquæ pluuiatilis, quæ e uaporibus, adſcendentibus de terra, oriri debuit, conf. u. 6. Nouimus enim, omnia meteora certis exhalationibus & uaporibus, a toto ſuo per attritionem & diuiſionem auulſis, ſuum debere ortum. Quæ particulæ, ſolis æſtu igneque ſubterraneo leuioreſ factæ, eo uſq; motum ſuum uerſus ſuperiora continuant, donec ad illam æris regionem peruenerint, in qua, ob æqualem agendi & reſiſtendi uim, hærentes, uario æris motu huc illucque iactantur, tandemque, motu contrario agitata, æquilibrium rumpunt, & in guttulas maiores unitæ, ſi uapores aquei fuerint, in terram decidunt. uid. *Teichm. Elem. Phil. nat.* p. 2. Cap. 3. Adeo-

Adeoque sua ueluti sponte sequitur, naturæ nubium plane contrarium esse, easdem, nomine \square , hoc loco designare, quippe quæ, post æstum Solis ignisque subterranei uehementiam, locum primum habebant, non per creationem quandam, sed, per legitimam tantum consequentiam, a causis nuper memoratis, profectam. Quibus etiam addi merentur uerba B. AUG. PFEIFFERI in *dub. uexat. cent. 1. p. 7.* *Aër, ait, inter aquas inferiores & nubes aquasue pluuias, non mediat constanter inter aquas & aquas. Quando pluit, ex aquis supra cælestibus fierent inferiores, & ex his iterum superiores, & sic in infinitum: & quomodo quæso aër, pluuiæ plenus, potest dici mediare inter aquas & aquas, quod ex diuina ordinatione expansum facere debebat? Denique nescio, qua ratione in Atmosphæra, uaporibus continue adscendentibus & remeantibus, ulla aquarum distinctio concipi queat.* Quæ singula, cum textu sacro collata, fortissima præbent arma, ad dissentientium opinionem eneruandam tollendamque, ut lippientem eum, esse oporteat, qui album eidem addere calculum haud dubitet.

§. XIV.

Cœlestis ueritatis clypeo, hac ratione, orbat; suam tamen hypothesin ulterius probaturi confugiunt dissentientes ad rationis tutamen, cuius in sinu unice acquiescendum inani uerborum strepitu contendunt. Unicum inter plurimos adduxisse testem sufficiat, nimirum MORHOFIUM in *Polyb. T. 2. p. 324.* *Sunt, ait, qui partem heterodoxias hodie faciunt, si quis negare ausit, aquas dari supra cælestes, eo sensu, quo ipsi accipiunt.* Adeo Theologi hanc litem etiam ad se pertinere putarunt, quos satius esset manus abstinere ab iis doctrinis, quæ per se e sacris litteris prin-

principia sua & auctoritatem non habent. Quæstio hæc, ad rationis forum deducta, sequentem inox sententiam ratam confirmatamque animaduertit: aquas supra cœlestes prorsus negandas esse, quum *motui, grauitati, cœlo ejusque orbibus, & deniq; utilitati,* nostro intellectui imperuæ, repugnare uideantur. De singulis, beuissime nostram exponamus mentem. Initiõ præmonendum duximus, hanc quæstionem eius esse generis, ut sine salutis iactura ignorari & negari queat. Negatio uero minime toleranda, cum sacris litteris aduersetur, adeoq; earum pariat contemptum. Deinde probe est obseruandum, ad rationis dicta nen hanc rem non pertinere, quum nulla humana industria aquarum supra cœlestium existentiam, multo minus essentiam, per se inuestigare ualeat. Rationis itaque non est, iudicium contrarium de iis ferre rebus, quæ ad eius non spectant forum, uerum suam potius dependentiam, maiorisq; luminis excellentiam, profiteri. Inde facile est collectu, MORHOFIUM l. c. percipiendi facultates confudisse, dum huius doctrinæ principia & auctoritatem sacris abiudicat litteris. Constans enim est canon *Metaphysicus: Non entis nulla scientia.* Aquæ supra cœlestes rationi non ens, E. nulla inde earum cognitio. E. nec auctoritatem, nec principium cognoscendi, a ratione habent. Rationi nam que imperium quoddam pro lubitu dirigendi, corrigendi & emendandi ueritates, ex altiori lumine desumtas, prouti cum sensibus se habet, prorsus denegamus. Quidquid enim non est principium cognoscendi, nec potest principium controuersiarum decidendarum esse; siquidem in controuersia, quid uerum sit? quid non? diiudicandum sit. Sapit hoc Socinianismum, longamque errorum seriem continuo producit. Cum
uero

uero inter hosce cognitionis nostræ fontes amicam semper intercedere conuenientiam oporteat. Nostrum iam erit paucis ostendere, aquarum supra cœlestium affirmationem rationi non repugnare. Contrarium probaturi, mediante principio similitudinis, argumentum nectunt, ab aquis globi terraquei, ad superiores illas, contendentes, easdem affectiones his tribuendas, ac illis. Et cum motus ab aquis nostris separari nequeat, talis etiam superioribus illis competeret, at, deficientibus causis, ætheris nimirum & aëris pressione motuque, cessabit etiam desideratus effectus. E. sæpius nominatæ aquæ supra cœlestes locum in rerum natura habere nequeunt. Lubentes quidem concedimus, nullam fortasse inter aquas supra cœlestes & terrestres, ratione essentiæ naturæque, intercedere differentiam; maxima tamen locorum intercapedo probe est obseruanda, quæ, licet naturam haud mutaret; noua tamen accidentia eidem facile addere ualeat. Huic classi merito annumerari debet motus, nostris aquis proprius, ob continuam aëris pressione, meatus aquæ subeuntem. Motus enim ille non constituit essentiæ aquæ. Est nihilominus liquor ualde fluidus, inodorus, insipidus, pellucidus, excolor, licet ab uno loco in alium non transferatur. Et cum omnis motus dependeat a DEO, qui materiam, ad motum & quietem initio indifferentem, ad aliquod contrariorum applicauit. Quæ inconuenientia, si dicamus, aquas terrenas, externa uel motrice, continue suum mutare locum, supra cœlestes uero, hac deficiente causa, ab illo motu quiescere; licet motum quendam intrinsecum, in nisu & renisu corpusculorum consistentem, iis denegare haud sustineamus, et si Perfectissimus earum auctor motum simul
exter-

externum iis fore necessarium ad finem propositum animaduertit, nullum est dubium, quin media, huic scopo sufficientia, simul adhibuerit, uim puta motricem externam & spatium mouendi, ne a sphaera sua exciderent, inque nihilo mouerentur. Hoc quoque tenendum, *illud naturale esse, quod cuique adsignauit DEus in prima creatione*, dicente BONAVENTURA. Qui enim: *נשׂה צפון על תהו תלה ארץ על כלומה*: h. e. *extendens aquilonem*, uel borealem caeli partem, adeoque caelum totum, *super inane*, uel nihil; & *suspendens terram super nihilum* Job. XXVI. 7. is etiam, modo ordinario, aquas supra omnes caelos sustentat, siue motas, siue non, easdem conseruare infinitae sapientiae placuerit. Quod semel monuisse sufficiat, cum reliquorum huius aquae supra caelestis attributorum eadem sit ratio.

§. XV.

Deinde aquis hisce supra caelestibus opponitur affectio *grauitatis*, quam iisdem minus conuenientem esse putant. Genuinam & proximam grauitatis causam indagare opus est maximi momenti difficultatisque summae, in quo excellentissimi Philosophi operam oleumque saepe perdidierunt, ut nemo cum ratione nobis quidquam imputet, si alto prorsus silentio hanc quaestionem praeteriremus. Ne uero aliquo in momento uictas aduersariis dare manus uideamur, etiam paucis hoc tollere dubium conabimur. Aquas nostras terrenas continuo nisu uersus centrum terrae ferri, experientia edocti quotidiana concedimus. Qua uero ui, propria ne an externa, maxime disputari solet. Propriam uaria motus Phaenomena prohibent, inprimis illud grauitatis decrescentis supra terram, in ratione quadrati distantiae, a centro

E aucti.

aucti. Si enim corporibus interna & naturalis inesset grauitas, motus in altum supra terræ superficiem nihil quidquam de grauitate eorum detraheret, cuius tamen contrarium nuper allatum euincit experimentum. E. in caussa quadam externa grauitas erit ponenda. Quæ uero illa? Ætherem dicunt plurimi, qui, pro materiæ quantitate, corpora uersus terræ centrum pelleret. Insufficienciam huius caussæ ostendit mutatio corporum, ratione grauitatis, supra globum nostrum terraqueum eleuatorum, cum ætheris quantitas & efficacia ubique eadem maneat; simulque alia noua grauitatis æthereæ caussa statuenda, quo pacto, progressum in infinitum fingere cogeremur. E. tutissimum uidetur, in mera uoluntate diuina uenerabundis acquiescere, quæ rationem sufficientissimam huius Phænomeni in se continet. Sin uero aliqua naturalis caussa erit adhibenda, forsan non inepte dicatur, peculiarem a Summo Conditore constitutam esse materiam, terram nostram circumcirca ambientem, omniaque corpora, pro ratione distantiae a centro, ad eam prementem, quæ, a recentioribus nonnullis, nomine radiorum grauitantium uenit. Ex quo principio proportio illa, circa grauitatis in & decrementum, explicatu facilis redditur. uid. eruditæ FR. ALB. REDEKERI *meditationes Philosophicæ de natura motus cohesionis & elasticitatis corporum.* Lemg. 1738. p. 3. Hicce obseruatis, manifestum putauimus, dissentientes, a grauitate aquarum inferiorum ad superiorum argumentantes, insignem similitudinis fallaciam committere. Interim tamen omnem grauitatem aquis supra cœlestibus derogare non sustinemus, consultius ducentes asserere,

easdem, secundum generales motus regulas, ad homogeneam particularum, utpote aquarum terrestrium, coniunctionem, per vim quandam centripetam dictam, duci; cui opponit se contraria vis centrifuga, æquilibrium conservans, ne e suo dimoveantur loco. Hæ vires, simul sumtæ, centrales dicuntur, & uti motum corporum cœlestium ellipticum protrouent, si caussis, ut putant, naturalibus effectum uere diuinum exprimere uelimus: ita & aquas supra expansum, in situ, primitus accepto, retinent.

§. XVI.

Uterius obiici solet; cum *fluida cœlorum natura* has aquas supra cœlestes conciliari non posse, quin sua ueluti sponte diffuerunt. At metus ille ab iis omnibus plane contemnitur, qui perpendunt has aquas, non minus ac reliqua corpora mundi totalia, diuina unice dirigente & sustentante prouida cura, uiribus, si dari ita liceat, centralibus, s. proxime priori descriptis, in sua contineri sphaera. Ut, cum Aristotele reliquisque ueterum, adamantinam quandam soliditatem cœlo tribuere non habeamus opus, quippe quæ multis Mathematicorum experimentis repugnat. Et si uel maxime insignem stellarum fixarum distantiam inter se admitteremus: inde tamen non sequitur, tot esse Systemata, quot stellæ fixæ, prouti recentiores quidam HUGENIUS in *Cosmotheoro*, FONTENELLE de *pluralitate mundorum*, cum notis Gottscheden, edit. Lips. 1738. aliique, fingunt, indeque tot aquas cœlestes, quot stellas, statuendas esse. Prior hypothesis nititur *fallacia causse possibilis*, cuius actualitatem multa prohibere facili ostendere possemus negotio,

si præsens nostrum permetteret institutum. Posterior, prouenit ex ignorantia Elenchi, nunquam enim diximus, aquas hæc sæpius indicatas, Systema tantum solare tegere, uerum supra expansum cœleste collocatas esse. In expanso deprehenduntur, cum Sole, Luna omnibusque Planetis, stellæ etiam fixæ, Gen. I, 16. E. aquæ, expansum illud tegentes, orbis stellarum simul circumeunt. E. sine absurditate, plures eius generis aquæ admitti nequeunt. Paucis tantum commemoremus argumentum STURMII in *Physica Erotem.* p. 737. Curui, ait, *aquæ hæc a tot uicinis solibus illustratæ tota nocte resplendescant, quandoquidem aërem nostrum ab uno sole, iam lapso & nondum exorto, ab imo collustratum, rutilante quodam splendore, in crepusculis uespertinis & matutinis insigniter perstringere manifesto sentimus.* Huius dubii uel nuda recensio refutationis locum supplere potest. Aquas etenim colore esse destitutas, in definitione earundem §. XIV. supra notauimus, adeoque per se inuisibiles, cum radios solares transmittant, accedente uero lucis splendore, pro uaria radiorum luminarium separatione & refractione, in libero facta aëre, varios etiam colores repræsentari posse phænomena Iridis monstrant. Sed quomodo hæc, multo minus rubedo cœli uespertina & matutina, ad aquas supra cœlestes adplicari queant? Quum nec in libero pendeant aëre, uariis particulis repleto, nec lumen aliquod, se superius, habeant. Et, si per plurimæ dentur stellæ, propria splendentes luce, uti ex Astronomia abunde cognoscere licet, quæ nudo oculo, & ne quidem armato accurate detegi queant; quanto minus expectandum, ut aquæ, supra omnes stellas locatæ, ad nostræ uisionis angulum pertingerent.

§. XVII.

Tandem & *utilitas* harum aquarum, non satis perspecta, dissentientibus nouum præbet argumentum easdem negandi. Verum nullam probandi uim huic concedere possumus, antequam solide ab iis fuerit euictum, nihil quidquam in natura dari, cuius præcipuum usum, in præsentis nostri statu, mortales sibi non habent perspectum, quod uix eos facturos existimauerim. Siue enim immensa cælorum spatia, eorumque multifaria corpora, siue profundissimam Oceani Abyssum, siue deniq; tria, ita dicta, Chemicorum regna percuriamus, ultro citroq; multa obueniunt, quorum natura ususque nobis latent. Quid quæso absurdi, si pari ratione nostram de aquis supra, cælestibus profiteamur ignorantiam? Sufficiat nobis uniuersalem cognoscere finem, summam nimirum Conditoris gloriam maiestatemque, quam lingua menteque inde celebrare debemus; magis uero peculiare in singulis diuinos noscere fines, finitæ iam mentis superat potentiam. *Earum* (aquarum) *usus nouit is, qui eas condidit,* ait B. GERHARDUS in *Comment. in Genesin.* Judæorum commenta parum curamus, contendentium, in refrigerationem & contemperationem caloris, ex motu firmamenti & siderum exorti, nec non in munimentum, ne cæli, uentorum & procellarum impetu agitati, concutiantur & uacillent. Priori sententiæ fauet quoque Auctor libri *Uds werck och hwiita.*

Det öfwer Himbla haf skal understundom kyla,
Den gnisterfulla luft, som monde Jorden skyla.

Et si quis probabilibus locus erit relinquendus, certe huic; licet nullo Scripturæ aut rationis testimonio solide
affir-

affirmari queat. De quibus non incommode quondam dixit B. LUTHERUS: *ego potius me fatebor Mosen in hoc loco non intelligere, quam ut ista inerudita probem.* Hoc coronidis loco adiecisse sufficiat: Prouti Microcosmum, machinam puto humanam, cuticula quaedam undique ambiendo tegit: ita etiam perfectissimo illi naturæ universæ Opifici, Macrocosmum hunc aquis illis supra cœlestibus, cutis instar, ab omni parte tegere placuit. Quæ uti summum operum diuinorum occupant locum; ita quoque laudes a nobis extorquere debent summas, ut ardentissima mente hæc Davidis proferamus uerba:

הללוהו שמי השמים והמים אשר מעל השמים:
הללויה:



L. G. v. v. v.